

SECTIO II. — DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE PROMISSIONE.

606. I. Promissio simplex, seu non mutua, est deliberata et spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona ac possibili. (Lesius, de Just. et J. l. 2. c. 18. n. 1)

Imprimis discernenda est a *proposito*. Hoc enim, etiam exterius expressum, est solum praesens voluntas aliquid postea faciendi, ita ut proponens minime intendat se nova aliqua obligatione ligare; promittens vero necessario intendit novam obligationem assumere, ita ut promissionis violatio alicui virtuti, puta justitiae vel fidelitati, adversetur. Hinc nullum omnino jus datur, ex. gr. ancillae cui domina manifestavit suam intentionem ei legatum aliquod relinquendi, si mors inopinata impedivit ne hoc propositum executioni daretur.

II. De *deliberatione*, quae ad validam promissionem requiratur et sufficiat, haec notasse juvabit:

1° Promissio mere externa, sine animo se obligandi, proprie loquendo, non foret promissio: nihilominus, si verba exterius prolata talia sunt ut, in iis adjunctis, non solum propositum et intentionem actualem enuntient, sed veram promissionem significant, exsurgit obligatio ex fidelitate ad rem faciendam. Nam virtus fidelitatis postulat ut conformentur facta cum verbis praeteritis. Sicut enim tolleretur magna ex parte commercium humanum, si homo licite posset exterius affirmare contrarium suae menti, sic etiam tolleretur magna ex parte si homines possent contra fidem exterius datam pro libito operari. (Lugo, disp. 23. n. 11 seqq.)

2° Ut promissio obliget, etiam in materia levi, requiritur advertentia plena, quae ad mortaliter peccandum sufficiat. Ratio est, quod quae sub pleno hominis dominio sunt, sine pleno consensu amitti nequeunt. Haec autem ratio de quacumque re, etiam levi, procedit. (Lugo, ib. n. 21 seqq.) Hinc vi obligandi carent non tantum promissiones quae fiunt ab ebrío, amente etc., sed illae etiam quae a semi-ebrio, semi-dormiente etc. eliciuntur.

III. Promissio *non spontanea*, sed metu vel dolo extorta, est saltem rescindibilis ad nutum metum passi vel decepti. Neque valet ulla pro-

missio antequam promissario intimata et ab eo acceptata fuerit; numquam vero valere potest promissio de re mala vel impossibili. Constat e dictis de contractibus in genere n. 585 seqq.

607. QUAER. I. Quanta obligatio e simplici promissione oriatur.

RESP. Quamvis AA. de hac re discrepent, ita ut triplicem sententiam probabilem ponat S. Alph. (n. 720), nihilominus practice satis convenit a voluntate promittentis pendere utrum ex justitia an ex fidelitate se obligare velit; quodsi voluerit ex fidelitate tantum se obligare, promissio, etiam in materia magni momenti, per se sub levi obligat; quodsi etiam ex justitia se obligare intenderit, promissionis violatio ex genere suo gravis est. Attamen ut peccatum mortale sit, censet S. Alph. (l. c.) requiri materiam quadruplo majorem illa quae peccatum grave furti relate ad promissarium efficeret.

Ratio autem ob quam, praeter obligationem fidelitatis, de qua nemo dubitat, assumi possit et obligatio ex justitia, haec afferri potest (Lugo, disp. 23. n. 90): quia, sicut potest per donationem transferri jus in re, sic etiam per promissionem transferri potest jus ad eandem rem. Quidquid enim propter pretium dari potest alteri, potest quoque illi gratis conferri. Hoc autem si contingit, jam non habetur obligatio solius fidelitatis quae nullum jus promissario confert et obligat tantum ex eo quod quilibet debet sua facta conformare promissis, sed vera justitiae obligatio, propter jus alteri quaesitum, exsurgit. Advertunt quidam (Marres, l. 4. n. 6) in hoc posteriore casu jam non haberi simplicem promissionem, sed donationem imperfectam: haec tamen quaestio de nomine est.

Si quis promissionem in re gravi fecit, non attendens utrum se sub gravi an sub levi obligaret, censendus est sub levi tantum teneri: obligatio enim gravis, seu ex justitia, non est adstruenda nisi de intentione a qua pendeat clare constet. Plerumque homines tantam obligationem per promissiones assumere non intendunt, nisi juramentum addant vel publicum instrumentum conficiant. (S. Alph. n. 720)

Per accidens posset quandoque promissio communis obligare sub mortali, ex. gr. ratione gravis damni, quod alias promissarius pateretur; ut si promisisses ei dare mutuum, et ille tibi confisus aliunde sibi non prospexisset.

608. QUAER. II. Quomodo cesset obligatio e promissione orta.

RESP. Praeter ea quae supra (n. 601) de cessatione obligationis contractuum in genere statuta sunt, haec speciatim notentur:

1^o Cessat obligatio, universe loquendo, quotiens supervenit notabilis rerum mutatio, quae si praevisa fuisset, non fuisset facta promissio. Cfr. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. Hinc ad dandam pecuniam promissam jam non teneretur qui notabilem fortunarum partem amisisset vel eam dare non posset sine gravi incommodo. Promissio enim gratuita semper intellegitur facta sub condicione quod sine tali incommodo impleri posset.

2^o Cessat quoque obligatio si res promissa, sine culpa promissoris, facta est impossibilis, illicita vel promissario inutilis.

3^o Cessat morte promittentis, si ex intentione promittentis vel rei natura patet eum voluisse tantum seipsum, non autem heredes suos obligare. In ceteris casibus, transit ad heredes obligatio ex justitia vel ex fidelitate, prout a promittente suscepta est, perinde ac de votis realibus dictum est. Qui enim se obligat ad rem praestandam, res quoque suas obligat: hae autem transeunt ad heredes cum omnibus oneribus quae ipsis a defuncto imposita sunt. (Lugo, disp. 23. n. 98)

4^o Cessat plerumque morte promissarii, quia promissiones in ejus gratiam tantum fieri solent. Excipe si quando etiam heredibus favere promittens intenderit.

CAPUT II.

DE DONATIONE.

609. I. Donatio est contractus gratuitus quo, absque obligatione vel debito justitiae, dominium rei propriae in alterum transfertur. His ultimis verbis patet quomodo differat a promissione, quae summum confert jus ad rem, minime vero jus in re.

Dividi solet donatio ab antiquis DD. in donationem inter vivos et donationem mortis causa. Haec, utpote magnam affinitatem cum testamentis habens, breviter explicabitur n. 672, ubi de ultimis voluntatibus. Hic igitur agemus tantum de donatione inter vivos, quam solam, praeter testamentum, Jus nostrum agnoscit. (C. C. a. 893)

610. II. Donatio inter vivos est contractus quo donator actu et irrevocabiliter transfert dominium rei suae in donatarium acceptantem. (C. C. a. 894) De hac, pro conscientiae foro, advertenda sunt praesertim sequentia:

1^o Donatio est essentialiter gratuita: quod tamen non impedit quominus fiat ad remuneranda donarii merita vel quominus obligationes, rei donatae minime aequivalentes, eidem imponantur.

2^o Actualis translatio quam C. C. requirit, non ita est intellegenda ac si statim res donatario tradenda foret. Lex enim unice intendit significare jus quaesitum esse donatario, dum per testamentum jus nullum legatario acquiritur.

3^o Irrevocabilis esse debet translatio eo sensu quod revocatio nullatenus a donantis voluntate pendeat; valent tamen, etiam in foro civili, donationes sub condicione suspensiva vel resolutive.

4^o Donatio est contractus *sollemnis* ita ut ad ejus valorem, saltem in foro civili, prorsus necessariae sint formalitates quas explicat C. C. a. 931 seqq. In foro autem conscientiae, non est certo invalida donatio nisi quae careat aliqua condicione jure naturae requisita, ex. gr. facta ab ebrio vel amente. Ubi adsunt omnia jure naturali requisita, lex autem civilis donatorem incapacem declarat, ut fit in Jure nostro de minoribus, uxoribus, interdictis, et, sub certis condicionibus, etiam de negotiatoribus qui solvendo impares sint, probabilius in foro conscientiae valet contractus donec rescindatur.

5^o Quando donatur donatione sua laedit jus alterius cui res debetur, puta debitor qui debitis suis solvendis impar est et praevidet se aliunde non esse probabiliter acquisiturum unde solvat, valida quidem est donatio, sed donator injuriam facit creditoribus qui jus strictum habent ut sibi e bonis debitoris satisfiat. Ejusdem injustitiae particeps est donatarius qui, conscius talis impotentiae debitoris, hunc nihilominus inducit ad donationem faciendam: ideo rem restituere debet. (Marres, l. 4. n. 39 seqq.) Neque aliter dicendum videtur si donatarius non induxit quidem ad donandum, sed tamen conscius illius impotentiae donum accepit: nam cooperatur actioni in se injustae, dum acceptatione sua contractum donationis injustum perficit. (Lugo, disp. 20. n. 116; S. Alph. n. 722) Nihilominus, in hoc ultimo casu, non videtur omnis probabilitas, saltem extrinseca, deneganda opinioni Lessii (l. 2. c. 20. n. 168) et Molina (disp. 327), qui censent donum licite accipi et retineri posse, quia donatarius non est causa quod debitor velit donare, sed, supposita hac voluntate, utitur jure suo; neque justitia aut caritas eum obligant ut commodum proprium omittat, licet inde per accidens alteri damnum oriatur. Tandem, si quis donationem accepit, ignorans impotentiam donatoris ad debita sua solvenda, nihil restituendum esse opinamur: quia, propter bonam fidem, accipit sine injustitia quod alter valide donat.

6^o Donationis acceptandae per se vel per alios qui eorum curam gerunt, *capaces* sunt omnes homines qui saltem concepti sint.

Attamen, e jure positivo, plures, saltem in determinatis adjunctis, *incapaces* declarantur. Sic liberi adulterini vel incestuosi pensionem tantum alimentariam recipere possunt (C. C. a. 762); liberi naturales nihil possunt accipere praeter partem quam lex ipsis tribuit. (a. 908)

Regulariter medici, pharmacopolae et ministri cultus, qui curam impenderunt aegrotis, durante ultimo morbo, nihil ab eo per donationem inter vivos vel testamentum accipere possunt. Nomine ministri cultus designari solum confessarium, docent Jurisperiti. (a. 909) Insuper lex civilis varios limites apponit donationibus quas sibi invicem faciant conjuges (aa. 1091-1100) easque semper revocabiles esse edicit. (a. 1096) Attamen donationes his legibus contrariae, dummodo adsint condiciones quas lex naturalis postulat, haberi possunt ut validae donec a iudice infirmentur. Immo tali sententia non irritaretur donatio ad causas pias, quae ex. gr. confessario a moribundo committeretur: siquidem huiusmodi donatio unice Jure Canonico regitur. Sed, ne oriantur gravia scandala, saepe abstinere debet sacerdos ab accipiendis donationibus rerum sive mobilium, sive immobilium quae, pro conditione donatoris vel testatoris, magni sint valoris. Ideo sapienter suadet Gousset (Th. Mor. I. n. 791) ne talia a poenitentibus suis sacerdos acceptet, inconsulto episcopo: non enim expediunt quaecumque licent.

Tandem lex civilis irritas declarat donationes quae fiant personis moralibus, puta hospitibus, communitatibus, etc. nisi specialem approbationem a Deputatione Consilii Provincialis vel a Gubernio obtinuerint (C. C. a. 910; leges Belgicae 30 Martii 1836, etc.): quam approbationem numquam consequerentur pleraque Instituta religiosa, cum a Gubernio non agnoscantur. Hae civiles dispositiones aperte adversantur juri independenti possidendi et acquirendi bona temporalia, quod Ecclesia a Christo accepit et inferioribus societatibus, ex. gr. Ordini religioso, vel Instituto pio, a se probatis communicat. Igitur tales donationes in foro conscientiae validae manent, dummodo adsint condiciones jure naturali requisitae.

Quatenus autem valeant in utroque foro donationes inofficiosae, seu quibus laeditur pars legitima heredibus necessariis servanda, dicitur ubi de ultimis voluntatibus agitur (n. 677): nam lex in eodem gradu ponit huiusmodi donationes, sive inter vivos, sive per testamentum fiant.

7° Juxta principia supra posita (n. 587), donatio incipit valere, de jure naturali, a momento quo acceptata est, etiamsi acceptatio nullo signo exteriore manifestata est. Jure autem nostro (C. C. a. 932), donatio sollemnis non valet antequam acceptatio actu pariter authentico consignata fuerit. Insuper donator potest velle ut ipse tantum post notitiam acceptationis obligetur: quod non raro contingit, quando postulat ut donatarius sibi rescribat num rem donatam gratam habeat.

8° Utrumque probabiliter controvertitur num, post mortem donantis, possit donatio valide acceptari, et num, mortuo donatario ante acceptationem, illius haeres donationem acceptare possit. (S. Alph. n. 729 seqq.) Imprimis ergo exploretur num donator voluntatem suam circa hanc rem

aliqua ratione manifestaverit: omnia enim ab ejus nutu pendent. Si de ejus voluntate non constat, nihil erit reddendum vel dandum.

9° Donationes sollemnes in Jure nostro (C. C. a. 953) revocari nequeunt nisi ob tres causas: eo quod condiciones sub quibus donatum est, non fuerint impletae a donatario; — eo quod donatarius se ingratum exhibuerit erga donatorem, ejus vitae attentando, ei gravem injuriam faciendo vel denegando alimenta (a. 995); — eo quod donatori nati sint liberi. Ob duas priores causas, donationes fiunt rescindibiles: ob tertiam, ipso jure nullae.

CAPUT III.

DE COMMODATO.

611. I. Commodatum (prêt à usage) est contractus quo unus alteri rem tradit cum facultate ea utendi et obligatione eandem post usum reddendi. (C. C. a. 1875) Hic contractus est essentialiter gratuitus: si enim pro usu rei daretur pecunia, fieret *locatio*; si quid aliud, *contractus innominatus*.

Commodari possunt, quaecumque domini objectum esse possunt, neque usu consumuntur; immo nec repugnat commodari res fungibiles, ex. gr. vinum, ad ostentationem. Id autem quod commodatur manet in dominio commodantis. (aa. 1877, 1878)

612. II. Obligationes commodatarii hac ratione definiuntur in lege civili:

1° Commodatarius rem commodatam tamquam bonus paterfamilias custodire et servare debet. (a. 1880)

2° Rem commodatam reddere tenetur, quando elapsum erit tempus ad quod commodata est: hoc autem tempus determinatur vel expressa partium conventionem, vel natura usus ad quem res commodata est. (a. 1888)

3° Si res commodata fortuito perit vel deterior fit, per se hoc damnum commodanti ferendum est: siquidem ipse dominus manet. Nihilominus si res fortuito perit, quando commodatarius eam ad alium usum adhibet quam ad eum qui e contractu licebat, vel eandem diutius quam poterat definuit, detrimentum ipse ferre debet. (a. 1881) Haec obligatio, in foro conscientiae, si abfuit culpa theologica, probabilius non urget ante iudicis sententiam (Marres, l. 4. n. 110; Waffel, t. I. n. 450): non constat enim legem voluisse aliquid amplius concedere quam judicialem actio-

nem ad damni compensationem. Ceterae vero obligationes directe conscientiam ligant.

4° Re commodata uti nequit nisi ad usum ex ejus natura vel conventionem determinatum; quodsi alia ratione rem adhibuerit et commodanti detrimentum intulerit, saltem post judicis sententiam, damnum reparare debet. (a. 1880)

5° Expensae ordinariae, ex. gr. alimenta equo commodato praestanda, solvendae sunt a commodatario; extraordinariae autem, quae forte ab ipso faciendae fuerint ad rem conservandam, a commodante restituendae sunt, nisi forte commodatarius omisisset commodantis consensum, in re non urgente, petere, isque rationabiliter invitus fuisset quominus tales expensae fierent, quae rei vetustae valorem aequarent. (a. 1890)

613. III. Obligationes commodantis facile e praedictis derivantur. Tenetur praecipue:

1° Rem commodatam non repetere antequam tempus ad quod concessa est elapsum sit. Eam tamen antea repetere poterit si ipsi orta fuerit necessitasurgens, neque praevisa: nam commodando noluit se obligare ad se re sua in talibus adjunctis spoliandum. (a. 1888 seqq.)

2° Tenetur, saltem ex caritate, monere commodatarium de iis defectibus rei commodatae qui ipsi nocuum afferre possent. Quodsi hoc nocuum reapse secutum sit, non tenetur ad illud compensandum, seclusa culpa theologica, ante judicis sententiam. (1)

CAPUT IV.

DE MUTUO.

§ 1. DE MUTUO SIMPLICI.

614. I. Mutuum simplex (prêt de consommation ou simple prêt) est contractus quo una pars alteri tradit rem usu consumptibilem, cum onere ut sibi ab hac altera parte res ejusdem speciei et qualitatis red-

(1) Multi, ex Jure Romano, commemorant *Precarium*, de quo tacet Jus nostrum. Contractus iste a commodato in hoc tantum differt quod semper licet ei qui precarium rei usum concedit, eandem repetere, quando voluerit. Hinc eandem inducit obligationes, praeter eas quae a conventionem de re ad certum tempus commodatario relinquenda oriuntur.

datur. (C. C. a. 1892) Quae definitio ut rite intellegatur, juvat notare sequentia:

1° Contractus mutui non solo consensu, sed traditione ipsius rei perficitur: non est ergo confundendum mutuum cum promissione mutuandi.

2° Per rem *usu consumptibilem* non intellegitur unice res quae usu physice destruitur, ex. gr. vinum, panis, sed etiam res quae physice post usum manet, nequit autem numerice eadem reddi ex. gr. quia alienatur. Ita bibliopola posset mutuari exemplaria libri cum obligatione postea solidem ejusdem operis exemplaria reddendi, caementarius lapides quos in aedificanda domo adhibeat, quivis pecuniam qua debita solvat, etc.

3° Res mutuo data transit in dominium mutuatarum ideoque ipsi perit, quacumque ratione pereat. (a. 1893)

II. Obligationes mutuatoris facile e praedictis intelleguntur. Nempe:

1° Tenetur ad monendum mutuatarum de vitio rei traditae quod illi nocivum esse possit, eadem ratione ac dictum est de commodante (n. 613), ex. gr. si mutuum dat vinum quod brevi acescit. Quodsi mala fide omittit monere, tenetur in conscientia ad damnum ferendum vel reparandum; ad quod etiam per judicis sententiam cogi potest. (a. 1898)

2° Si contractum mutui simplicis fecit, nulla addita stipulatione de faenore, nihil exigere potest praeter compensationem rei mutuo datae.

3° Nequit res mutuo datas repetere ante terminum de quo convenit. (a. 1899) Quodsi de nullo termino expresse conventum est, duratio mutui e fine per mutuatarum intento et manifestato prudenter definienda est. Attamen rem suam mutuator repetere posset ante hunc terminum, si hunc absque gravi incommodo, quod ex improvviso oriatur, exspectare nequiret. Cfr. n. 623.

615. III. Obligationes mutuatarum sunt praesertim sequentes:

1° Res mutuo acceptas in eadem qualitate et quantitate ac termino praefixo reddere tenetur; quodsi fieri non posset, deberet solvere valorem quem haberent tempore et loco quo restituendae essent. (a. 1902 seqq.)

2° Si mutuam accepit pecuniae summam, nihil aliud reddere tenetur quam summam numericam in contractu scriptam; quodsi moneta aucta vel minuta est ante solutionis terminum, debitor reddere debet summam numericam mutuo datam nec quidquam aliud, nummis qui tempore solutionis recipiantur. (a. 1895)

3° Si res earumve valorem tempore statuto non reddit, tenetur ad